



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XXI. De damno quod importat peccatum mortale, maculando animam, eique suam pulchritudinem auferendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

inde capere laborat. Et cum cognoscit mortē, præterquam quod incerta est admodum vicinam esse, semper ea expectat, seque ad illam per orationem, meditationem, Sacramentorum frequentiam, nec non per mortificationem, ac virtutum exercitium disponit. Atque hoc est *semper vigilare*, ut Christus ait, quia *nescimus mortis diem, neque horam.*

De damno, quod importat peccatum mortale, maculando animam, eiq; suam pulchritudinem auferendo.

C A P. XXI.

Quemadmodum macula corporalis est, quâ corpus maculatur, & conspurcatur, sic est macula spiritualis, quâ maculatur, & contaminatur anima. Hæc macula est peccatum. Veniale imperfecta macula est, & quæ animam ex aliquâ parte maculat: a sed
 mor.

a S. Th. 1. 2. q. 89. a. 1.

mortale est perfecta macula, quæ illam totaliter maculat, facitque immundam. Hoc nomen habet peccatum in diuinâ Scripturâ, a *Beatus vir*, inquit *Sapiens, qui inuentus est sine peccati maculâ*. Et hic est ille, qui habet ingressum in cælum, quo nihil coinquinatû intrat, sicuti Dauid cum Deo loquens ait: *b Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? & quis requiescet in monte sancto tuo, id est, cælo?* respondetque: *qui ingreditur sine peccati maculâ, & operatur iustitiam*. Neque solum peccatum, sed etiam peccator macula vocatur, quòd sit peccato infectus. Ita S. Petrus peccatores *coinquinationes, & maculas vocat. c* Huius maculæ locus, & sedes cor est: ibi per consensum voluntatis generatur; & quamdiu cor est maculatum, procedunt inde maculate cogitationes voluntariæ, legi Dei contrariæ, & mala verba, & opera; sicuti declarauit Christus

K 7 in

a *Ecclie. 31. 8.* b *Psal. 14. 1.* c *Petr.*

2. 13.

in Euangelio, dicens: *a Non quod intrat in os, secundum naturam suam dum taxat consideratum, coinquinat hominem, quia non intrat in animam, sed in corpus, & de corpore exit: quod coinquinat hominem, sunt cogitationes male, homicidia, furta, fornicationes, falsaque testimonia, quæ de corde exeunt, nam in corde est immunditia, & macula peccati, quæ coinquinat, & maculat cogitationes, & verba, quæ inde exeunt. Et si cibum aliquem intemperanter, vel contra Ecclesie præceptum sumere, peccatum est, id non est propter cibum, qui bona Dei creatura est, sed propter voluntariam inobedientiam, legi diuinæ, vel humanæ contrariam: & hæc inobedientia voluntaria in corde sita est, indeque exit ad opus. Atque ita verum est, in corde maculam peccati esse, indeque ad coinquinandas, & maculandas omnes reliquas potentias, verba, & opera, quæ ex eo procedunt, exire. Ita Sanctus*

a Matth. 15, 11.

Stus Chrysoſtomus dicit: a Nihil Deus fecit immundum; peccatum ſolum, quod opus Dei non eſt, ſed hominis à Deo ſe ſeparantis, inquinat omnia, & facit immunda: quippe animam tangit, & penetrat, ſordibusq; inquinat. Ex animâ verò inquinatâ prodeunt immunda, quæ ſunt peccata cogitationum, verborum, & operum. Sic ille,

Videamus nunc, quid faciat hæc peccati macula in animâ, & quomodo ei ſuam pulchritudinem tollat. Pulchritudo corporis, tametſi inter corporalia bona numeratur, res vana, exiguæ ſubſtantiæ, exigui valoris, exiguæ utilitatis, & vt plurimum valdè damnoſa eſt. Vana eſt, quia parum durat, & admodum citò perit, quantumvis enim vita hominis brevis ſit, multò minùs, quàm vita, durat; nam vna febris, aut vulnus in facie, eam tollit ipſaque ætas conſumit. Et valde noxia eſt, quia quamvis ad acquirenda temporalia quædam commoda proſit, at-

que

a D. Chr. in epiſtol. ad Tit. c. 2. hom 3.

que conducatur, ordinariè tamen animi nocet; nam propter illam persona, quæ ipsam habet, superbit, vanè de se præsumit, inordinatè seipsam amat, & vult ab omnibus videri, æstimari, & honorari; quæ ingens est vanitas, & inanis gloriæ, aut superbiæ vitium, valdè perniciosum. Et ad conseruandam, augendamque suam pulchritudinem multos superfluos sumptus in vestes, curiosaque, & vana ornamenta facit. Ac propter eandem pulchritudinem multæ ei offeruntur occasiones, & pericula amittendæ castitatis; cumque maiorem habeat commoditatem mala sua desideria implendi, multa committit peccata, quæ non committeret, si corporali pulchritudine careret. Idcirco quidam Poëta dixit: a

Lis est cum formâ magna pudicitia.

Et ne homines hanc corporis pulchritudinem amarent, nec æstimarent, Deus eam permagnam dedit, & dat

NON

a Ouidius.

non solum bonis personis, sed etiam multis malis, peruersisque viris, & multis malæ vitæ, valdeque inhonestis fœminis, vt boni videntes, bonum temporale bonis, malisque commune esse, parui eam penderent, contemnerent, nec inde peccandi occasionem fumerent. Ita Sanctus Augustinus loquens de peccato, quod in primo seculo commiserunt homines populi Dei propter inordinatum amorem pulchritudinis, quam viderunt in filiabus hominum, ait: *a Corporis pulchritudo à Deo quidem factum, sed bonum temporale est, quod propterea bonis malisque largitur, ne magnum hominibus bonum, sed paruum videatur, neque faciant, sicut primi illi homines, qui deserto magno bono, & bonorum proprio, quod est virtus, ad bonum minimum, bonis, malisque commune, quod est corporalis pulchritudo, defluerunt.* Sic ille. Et Spiritus Sanctus totum hoc per sapientem declaravit.

a D. Aug. l. 15. de civ. Dei c. 22.

ravit, dicens: *a Fallax gratia* corporealis est, quæ personas carnalibus oculis gratas facit, & *vana est corporis pulchritudo*; neque adeo occasio mulieres ab hoc bono laudandi, quem admodum vulgus solet, cum hoc non faciat laude dignas: *Mulier timet Dominum, ipsa oppidò laudabitur*; De enim timor laude dignissimam reddit Pulchritudo animæ, quam illa naturaliter habet, cum sit ad imaginem De facta, ac præsertim supernaturalis, quam habet, ex virtutibus diuinis, & ex gratijs, donisque Spiritûs Sancti profecta, per quam facta, formataque est ad similitudinem Dei; hæc pulchritudo valde magna, valde solida, & stabilis, summi valoris, & incomparabilis est utilitatis. Estque adeo durabilis, ut incipiens in terrâ, duret æternum in cælo, & transiens à pulchritudine gratiæ ad pulchritudinem gloriæ, summè in magnitudine, valoreque crescat. Hæc est illa pulchritudo, quam Deus

vehe-

a Proverb. 31. 30.

vehementer amat, & æstimat, quem-
admodum ipse Dominus, per Psalmi-
stam testatur, dicens vniuersæ Eccle-
siæ, & animæ cuiuslibet iusti: *a Audi*
filia magnâ cū attentione, quod spon-
sus tuus tibi dicat teque doceat; & *in-*
clina aurem tuam ad obediendum ei;
contemne res omnes huius mundi, eas-
que propter ipsum relinque: & *rex*
cælestis, idemque sponsus tuus *concu-*
piscet, & amabit *decòrem*, seu pulchri-
tudinem *tuam*, ac propterea maximi te
faciet, æstimabitque, Hæc animæ pul-
chritudo nunc mundanis occulta, ab-
sconditaque est, sed oculis Dei, & An-
gelorum eius valdè aperta: ad quod
significandum subdit Psalmista: *Om-*
nis gloria principalis huius sponsæ &
filie regis cælestis, omnis eius pulchri-
tudo, & splendor, omnis eius ornatus,
opulentia, & valor *ab intus* est, quia
non consistit in bonâ proportionem, in
bono colore, in splendore, & ornatu
corporalium membrorum, sed in vir-
tuti-

a Psal. 44. 11.

tutibus, in donis, & in gratijs sp
 tualibus, quarum principalis locus
 tra animam est. Tantoperè Deus ha
 animæ pulchritudinem diligit, &
 stimat, itaque cordiali eius amore
 pitur, vt ad faciendâ illam mundam
 ac pulchram, homo factus sit, sequit
 mortem propter hominem obtulerit
 quemadmodum S. Paulus testatur, di
 cens: *a Christus dilexit Ecclesiam, &*
seipsum tradidit in mortem pro ea, ut illam
sanctificaret, mundaret, valdeque
gloriosam mirabili splendore, ac pul-
chritudine exhiberet, & ipsa adeo mû-
da, pulchraque fieret, vt nulla in ea
culpæ macula, neque ruga, remaneret,
sed penitus, & summâ cum perfectio-
ne sancta, immaculata, pulchraque
esset; quod in terrâ incipitur, & per-
ficitur in cælo. Atque hæc dilectio, &
hæc æstimatio, quam Deus de anima-
rum pulchritudine habet, multò ma-
nifestior fit ex eo, quod ille animas
non solùm dilexit, quando hanc pul-
 chri-

a Ad Ephes. 5. 25.

chritudinem habebant, easque pulchras videbat, sed etiam, quando carebant illâ, & vitijs deformes cernebat: tunc quoad partem naturalem dilexit eas, vt faceret pulchras, quemadmodum fecit. Hoc diuinè ponderat Sanctus Augustinus, dicens: *a Ani- ma nostra fœda est per iniquitatem, & Deus, qui semper est pulcher, ipsaque pulchritudo, amavit nos fœdos, & deformes; non ideò tamen, vt fœdos dimitteret, sed vt mutaret, & ex deformibus pulchros faceret.* Hanc tam mirabilè animæ iustæ pulchritudinem tollit macula peccati mortalis: quæ eadem macula pulchritudinem supernaturalem penitus aufert, & naturalem imminuit; spoliandæque animam hac pulchritudine, ipsam maculat, coinquinat, itaque turpem, ac deformem reddit, vt nequeat explicari. Et sic impletur in eâ, quod Ieremias lamentatur in Nazaræis, hoc est, hominibus iustis Deo consecratis, de

*a D. Augustin. in epist. Ioannis tr. 9.
tom. 9.*

de quibus ait, cum prius per gratia virtutesque essent candidiores niue, ruidiores lacte, rubicundiores ebore an quo, sapphiro, a qui est pretiosus lap coerulei coloris, pulchriores. eò miserrum, calamitatumque deuenisse, ut facies eorum denigrata, & obscuratae fuerint super carbones. b In quæ verba S. Hieronymus, post candorem, inquit, nigrae fiunt, quia amissa Dei iustitiâ dilabuntur in peccata; hæc denigrant animas, atque deformant. Confirmemus hoc nonnullis exemplis. c Refert Petrus Vega Ordinis Hieronymiani Generalis, cuidam sui ordinis religioso animam agenti Dæmonem apparuisse, & aspectuque suo maximam molestiam (sic Deo ad purgandum ipsum ordinante) attulisse; & cum Prior illum interrogasset, num verum esset, quod quidam dicerent, si quis semel Dæmonem vidisset, electurum potiùs viuum in ardentem rogam infilire, quàm de-

a Thren. 47. b D. Hier. Thr. 4. c In hist. sui Ord. l. 1. c. 45.

nuò eum aspicere, respondisse, ita esse.
Adhuc magis hanc rem Beata Catharina Genuensis exaggeravit. *a* In supremo enim eius morbo, quo mortua est, volens Deus merita ipsi augere, dedit Dæmoni licentiam ei apparendi; quem illa interioribus animæ oculis vidit, tantumque ex aspectu rei tam malæ, ac deformis, & Deo tam contrariæ cruciatum sensit, vt diceret; si sibi fieret optio, malle se immitti in ignem tam ferum, quàm est infernalis, quàm illum iterum aspicere. Cum Diabolus antè ineffabilis pulchritudinis Angelus per naturam, & per gratiam, eiusque aspectus incomparabilis suavitatis, & consolationis fuerit, videamus parumper, quis eum tam turpem, tamque horribilem fecerit, vt solo aspectu suo tantum afferat tormentum. Nempe macula peccati mortalis tam extremam in eo mutationem fecit: illa priuavit ipsum omni suâ pulchritudine, tamque foedum, & horribilem reddidit.

a In eius vitâ.

dit. Quoniam ergo verum est, multo
 animas tanta, atque etiam maiora pec
 cata, quam multi Angeli mali, comi
 tere, & hos vnicum peccatum mortale
 commisisse, illas vero committere in
 numerabilia, consequens est, ut ean
 dem turpitudinem, eundemque hor
 rorem habituræ sint, quem Dæmon
 habent. In hunc modum macula pec
 cati mortalis miseram animam con
 quinat, ac deformat, & peccator in
 consentiens, tantum sibi ipse malum,
 ac damnum creat: Ideoque dixit Deus
 populo suo: *a abominabilem fecisti de
 corem tuum; peccando perdidisti pul
 chritudinem gratiæ, religionem, dona
 que diuina, quæ habebas, & turpissi
 mus, atq; abominabilis factus es. Tam
 hæc peccati mortalis macula mala est,
 tam ad nocendum potens, & tam te
 naciter animæ inhæret, ut omnes mun
 di vires ad tollendam eam non suffi
 ciant, nec omnia ingenia, artificiaque
 creaturarum habeant efficaciam, nec*
 valo.

a Ezech. 16. 25.

valorem ad destruendam illam, & elu-
endam. Id significavit Dominus per
Jeremiam, dicens: *a Si laueris te nitro,
& sapone, maculata tamen eris in ini-
quitate tuâ, coram me;* nulla res creata
tibi potest maculam, quæ in te est, ab-
stergere. Sola virtus Christi Dei &
Hominis potest hanc peccati mortalis
maculam tollere, & solus sanguis, quæ
pro nobis patiendo fudit, valorem, ef-
ficaciamque habet animas ab hac ma-
culâ lauandi, & emundandi. *b Christus
dilexit nos, inquit S. Ioannes, & lauit nos
à peccatis nostris in sanguine suo.* Et cete-
ræ res omnes virtutum, ac Sacramen-
torum, quæ valorem habent, & effica-
ciam tollendi hanc maculam, animam-
que mundandi, eam habent, & acci-
piunt à passione, & sanguine Christi.
Studeamus igitur, innitentes virtuti
IESU Christi, mundare, & purgare no-
stras animas ab hac peccati maculâ, ac
turpitudine, & hanc pulchritudinem,
ornatumque spirituales gratiæ, ac di-

L

uino-

a Ier. 2, 22. b Apoc. 1, 5.

uiciorum donorum, per dolorem, & crimas contritionis, per confessionem humilem, per opera poenitentiae, ac misericordiae, perque orationis exercitium acquirere. Satagamus huius pulchritudinis, & propterea corporis pulchritudinem, omniaque temporalia contemnimus. Hoc documentum suorum filio Basilii Romanorum Imperator, & vir pius hisce verbis dedit: *Insignis corporis forma idoneum hominem reddit, qui in aula assistat principi terreno; sed anima pulchritudo gratum, & placentem regi caelesti facit: & illa momentaneam affert honorum fruitionem; hac autem eternam inuenit cum Deo ac Domini conciliationem. Tu vero alium non habes superiorem, cui pulchritudine corporis placeas, sed Deum habes Dominum, qui corporis formam non requirit, sed animi generositatem. Huic igitur placere stude per omnia, illius imaginem in te conseruans incorruptam atque incontaminatam per temperantiam, & morum puritatem.*

Quo.

a Basil. in epist. quae in Biblioth. tom. 5.

Quo
inP
Deu

se, f

ipso

habe

pali

alia

sum

sti, i

que

ipso

que

lus.

den

Quo
anin
& ina
37. 27